C repositus acescit, utpote frigida humiditate multa redundans. Strutheorum quoq; succus perennare potest ubi recte fuerit præparatus, quemadmodū & Cotoneorum: uerū hic minus suauis & iucundus est, maximeq; adstringit, ita ut huius quoque aliquando usus sit idoneus ad uentris maiorem in modum dissoluti robur restituendum.

EX PLINIO.

Cotonea cocta suauiora. Cruda tamen duntaxat matura, prosunt sanguinē excreantibus, ac dysentericis, cholericis, cœliacis. Non idem possunt decocta, quoniā amittunt cōstringentem illam uim succi. Imponunt & pectori in febris ardoribus, & tum decoquuntur in aqua, ad eadem quæ suprascripta sunt. Ad stomachi autem dolores cruda decoctáue cerati modo imponuntur. Lanugo eorum carbunculos sanat, cocta in uino, & illita cum cera. Alopecijs capillum reddunt. Quæ ex ijs cruda in melle cōdiuntur, urinam mouent. Mellis autem suauitati multum adijciunt, stomachoq; id utilius faciunt. Quæ uerò in melle condiuntur cocta, quidam ad stomachi uitia trita cum rosaceo folijs decoctis dant pro cibo. Succus crudorum lienibus, orthopnoicis, hydropicis prodest. Item mammis, condylomatis, uaricibus. Flos & uiridis & siccus, inflammationib. oculorum, excreationibus sanguinis, mensibus mulierum. Fit & succus ex ijs mitis, cum uino dulci tusus, utilis & cœliacis & iecinori. Decocto quoque eorum fouentur, si procidant uuluæ & interanea. Fit & oleum ex ijs, quod Melinum uocauimus, quoties nō fuerint in humidis nata. Minus utilia Struthea, quamuis cognata.

EX SYMEONE SETHI.

Stomachū adstringunt & corroborant, & ante cibum sumpta uentrē cohibent, urinam prouocant. Si ad satietatē edantur, difficulter cōcoquuntur. Dulcia minus
D adstringūt, acida uerò magis, uomitumq; compescunt. Post cibum sumpta uentrē mouent: sed quibus est imbecilla facultas uentris retentrix, & excretrix ualida, plus cibi accipiant. Mansa à potu, uini uaporē in caput distribui prohibent. Si qua prægnans, ut fertur, crebrius hæc comedat, puerum industrium & uersutum pariet.

DE CASTANEA. CAP. CXL.

NOMINA.

Castaneæ unde dictæ.

Sardianæ glandes.

ΚΑΣΤΑΝΑ, ἡ διὸς βάλανος, ἡ σαρδιανὴ βάλανος, ἡ λόπιμον Græcis: Castanea, Sardiana glans, Iouis glans, Nuxq; castanea Latinis appellatur. Germanis nostris Castani/uel Kesten uocant. Castaneæ autem à Castano Magnesiæ oppido, unde primum aduectæ sunt, nominatas esse cōstat. Sardianæ uerò glandes, quoniam in Sardinia optimæ nascantur.

FORMA.

Arbor est uulgò cognita, Iuglandi haudquaquam dissimilis, folio tantum ueno fiore & fimbriato. Nux quam producit intus solida, & plurimum plana, triplici tegminis ambitu septa, membrana primum amara, mox lento cortice, demum echinato calyce.

LOCVS.

Puram & resolutā terram desiderat, opacoq; & septentrionali cliuo lætatur. Montes & ualles diligit. In plerisq; Germaniæ locis copiosissima prouenit.

TEMPVS.

Ineunte uere germinat, seriusq; Vergiliarum occasu fructificat.

TEMPERAMENTVM.

Adstringit & exiccat Castanea haud secus quàm aliæ glandes. Calida uerò & sicca est primo ordine.

VIRES.